




Página de Controlo

1585
(1)



Avum sine carenset fama attollite Templo X Incljta quod rezerat gloria Stemma sacrum



THE HISTORY OF THE REFORMATION OF THE CHURCH OF ENGLAND
IN THE SEVENTEENTH CENTURY

2

AUGUSTISSIMÆ REGINÆ



Eritò inconsideratissimæ Temeritatis arguerer, si me cō-
mittere Academico periculo sine extraordinario præsidio
auderem, Hac de causa ad Majestatis Tuæ aras confugio
summum auxilium imploraturus, quippe qui compertum
habeo Regiam Clementiam passuram non esse illud à me
frustra flagitari. Unde enim rectius certaminis felicitatem speraverim, quàm à
Majestate Tua, a qualicet immeritus amplissimas fortunas obtinui. Accedit, quod
mihi atrocissimo ingrati animi crimini daretur, post plurima à Majestate Tua in
me, domum que meam collata beneficia ea non profiteri apertissime in hoc con-
fertissimo, eruditissimoque Conimbricensis Academiae Theatro; quæ publica
testificatio eo etiam maximè conducit, ut me ab audaciæ suspitione liberet, dum
minimus cum sim inter subjectos Majestati Tuæ, non dubito augustissimum patro-
cinium non solum petere, sed etiam sperare; nam Regiæ benignitatis, & benefi-
centiæ argumenta, cum ad bene sperandum dent animos etiam ad postulandum
invitant. Ille que Reges diligentius colit, & observat, qui ipsis occasionem of-
fert de mortalibus benemerendi, quod quidem est Regalis Culminis summa dig-
nitas, atque apex prope divinus.

...atque adeo prope vivit.

ut de mortalibus sententiam quod dicitur est Regis Culinus fuisse dig-
nitate eximientem, cum ad bene locutionem deum animos etiam ad pollicendum
animam non solum daret, sed etiam pariter hunc Regem benivolentia & benefi-
centiam cum sit inter sapientes, Tunc non dubito iustissimum patro-
nitio eo certantissime condonare, ut me ad iudicis inspectione libere dum
credimus, eruditissime Compendiosa Academiæ Theorici, qui publici
ne domini que nunc collata benevola carum profecti spectabilis in hac con-
niti retocillius iugari animi certum daret, nos plurimum Majestate Tus in
Majestatis Tus a qua nec immensitas amplexibus formidetur. Accedit, quod
nullas flagrant. Ut enim recte certaminis sollicitudo speciem quam
libero Regno Christianum restitui non esse illud a me



...incommodabilius et cunctis argueret, si me es-

3

PRO PRIMO
ACADEMICO CERTAMINE SUBEUNDO,
IVRIS PONTIFICII
DECERTATIONES
SELECTAS
EX

*NOTATIS AD JURISCONS. GAYUM LIB. 5. AD LEG. JUL.
& Pap. in L. in singulos annos 8. ff. de annuis legatis, & tit. ff. quādo dies usus-
fructus legati cedat, & tit. ff. si ager vectigalis, id est emphyteuticarius petatur;
modo insertis sub tit. de Testamentis, & ultimis voluntatibus, & in cap. final.
de pignoribus, & alijs cautionibus, & tit. de conditionibus apposis, & tit. de
locato, & conducto in Decretalibus.*

P R Æ S I D E

NOBILISSIMO, AC LITERATISSIMO DOMINO D.

EMMANVELE TAVARES
COUTINHO A SYLVA,

Qui pro sapientia in Pontificia Jurisprudencia subtilissimus Interpres Sexti Ca-
thedræ moderator existit, cujus prudentia ad dignissimum Lamecensis Sedis
Canonicum Doctorem, & relictio ad Judicem probatissimum, in causis Fi-
dei plausibiliter exivit, cujus tandem doribus, & meritis Regale D. Pauli Col-
legium, ornatissimum Collegam, & Rectorem quondam habuisse gloriatur,
ad supremos dignitatum apices sublimandum.

In lucem profert

DOMNUS FRANCISCUS DE ALMEYDA,
Ejusdem Regali Collegij Alumnus

Suo quarto Juris Canonici anno, die 2 hujus mensis hora 8^{am}

PRINCIPALITER IN CERTAMINIS
APICE DISPUTABITUR:

Utrum *Ususfructus morte ususfructuarij finiatur?* Affirmativè.

DECERTATIO I.

An, & quādo legatū annuum vel usufructus resultet.

Ad J. C. Ulpianum lib. 17. ad Sabinum in l. per servum 14. §. 1. ff. de usu, & habitatione, & Scævolam lib. 3. responsorum in l. defuncta 58. §. 1. ff. de usufructu, & quemadmodum quis utatur.



ERUM est legatum annuum posse relinqui expresse, vel tacite.

In dispositione sic facta: lego decem in singulos annos, vel quotannis, vel lego decem annua, vel alijs verbis similibus, cernitur legatum annuum.

Relictum etiam legatum annuum creditur, si testator dicat, lego decem annua, vel in singulos annos, nulla facta mentione de re, ex cujus fructibus legatum præstandum est.

- 4 Grave dubium est, si testator leget decem annua cum determinatione certi prædij, resultet ne legatum annuum? Affirmabitur. (gabitur.
- 5 Oritur alia questio, an in prædicto casu resultet saltē usufructus partialis? Ne-
- 6 Si testator utatur verbo usufructus, legatum usufructus absque dubio resultat.
- 7 Affirmare idem juvat, quando testator disponit de parte usufructus divisa, vel indivisa.
- 8 Non legatum annuum, sed usumfructum resultare, si testator leget per verbum fructus, dubio caret.
- 9 Controvertitur inter DD: Utrum idem dicendum, quando testator loquitur per verbum redditus? Affirmativè resolvitur.
- 10 Testatore disponente per damnationem de redditibus, non usufructus, sed legatum annuum inducitur.
- 11 Jurgium hic insurgit, si testator disponat per verbum fructus in numero singulari, an resultet legatum annuum, vel usufructus? vide sequentia.
- 12 Si testator disposuit per verba vendicationis, vel alia similia personam legatarij respicientia, non legatum annuum, sed usufructus resultat.
- 13 Similiter resolvimus, quod usufructus, & non legatum annuum resultat, si dispositio per damnationem fiat.
- 14 Idem ne erit dicendum, si legetur redditus in numero singulari? Minimè.
- 15 Maximè dubitatur: Utrum legato fructu, in numero singulari, deducto usu, valeat tale legatum? Non valere arbitramur.
- 16 Aliter tamen dicendum, si agatur non de usu intrinseco, sed de usu sumpro pro plena commoditate; tunc enim legatum subsistit.
- 17 An in dubio quando non constat de quo usu censerit testator, valeat prædictum legatum fructus, deducto usu, quæ potest? Negari debet.
- 18 Congruè hic inquiritur: Utrum valeat ademptio usus, quando fructu antea legato in numero singulari testator eundem usum adimit in eodem testamento diversa oratione, vel in codicillis? si testator expresse ademirrit usum

- sum essentialis concomitantia, ademptio non viget.
- 19 Omnis autem dubitatio est: Utrum ademptio usus essentialis concomitantia, legatum fructus extinguatur? Non extinguatur, sed dimat.
- 20 Non viget ademptio, si testator a fructu antea legato usum plenae commoditatis adimat.
- 21 Celebris quaestio est: Utrum, si testator adimat usum a fructu antea legato, quin constet de quo usu censerit, an ademptio teneat? Negative concluditur.
- 22 Est dubium, an, si testator leget fructum per verba vendicationis non simpliciter, sed cum temporis repetitione, legatum annuum, vel usufructus resultet? Usufructus repetitus resultat.
- 23 Per verba damnationis, legato fructu, legatum usufructus repetiti oritur.
- 24 Tota disceptatio est: an, si testator leget certam partem fructuum in numero plurali, resultet legatum annuum? Affirmatur.
- 25 Id non procedit, si testator loquatur per verba vendicationis, tunc enim legatum usufructus partialis resultat.
- 26 Optime ampliatur dicta assertio, ut teneat etiam, si testator legaverit partem reddituum annorum modo proxime relatum.
- 27 Non usufructus, sed annuum legatum nascitur, si testator fructus annuos aliquis praedij legaverit.
- 28 Eritne idem dicendum, tam jure noviori, quam ff. inspecto? Ita quidem.
- 29 Magna dubitatio est: Utrum, si testator legaverit uni ex heredibus fructus annuos fundi per verba vendicationis, resultet legatum usufructus, an legatum annuum? Resultat usufructus.
- 30 Omni tamē dubitatione caret, quod, si testator legaverit fructus annuos per verba legati per sinendi modum, non usufructus, sed legatum annuum oritur.

DECERTATIO II.

Circa diferentiā & similitudinē legati annui & usufr.

Ad f. C. Gayum lib. 5. ad leg. Jul. & Pap. in l. in singulos annos 8. ff. de annuis legatis & Ulpian. lib. 17. ad Sabinum in l. sicut 3. §. fin. ff. quibus mod. usus fructus amittatur.

- 31 **N**ODOSA, & intricata quaestio pullulat: Utrum usufructus morte usufructuarii extinguatur? Quod extinguatur totis viribus contendimus.
- 32 Sed proximam resolutionem solum intelligimus procedere, si usufructus formaliter accipiatur.
- 33 Taliter usufructus extinguatur morte, ut etiam relictus Civitati, Ecclesiae, vel alteri communitati quasi morte extinguatur spatio centum annorum.
- 34 Resolvimus tamen legatum annuum relictum eisdem communitatibus non extinguere per idem spatium, siquidem perpetuum est.
- 35 An autē facta delegatione usufructus per usufructuariū extinguatur praedictus usufructus morte delegantis, an vero morte delegarii inquiri potest? Morte delegantis non extinguatur, sed morte delegarii.
- 36 Tamen usufructus filiofamilias relictus, patri que quaesitus morte patris non

- extinguitur.
- 37 Et procedit dicta Conclusio tam in usufructu legato, quam in usufructu ex quacunque causa constituto.
- 38 Erit nè idem pronunciandum, quando usufructus constituitur ex causa peculij castrensis vel quasi castrensis? Nullatenus.
- 39 Similiter non procedit dicta conclusio, quando usufructus fuit legatus, vel constitutus filiofamilias ex causa profectitia.
- 40 Sic etiam intellige, quod proxime dicta solum procedunt de jure novo, non vero attento jure ff.
- 41 Eodem modo usufructus relictus servo. & per eum domino acquisitus morte domini extinguitur.
- 42 Morte naturali filijfamilias ejus vè capitis diminutione usufructus patri acquisitus non extinguitur.
- 43 An scilicet usufructus legatus, vel constitutus filiofamilias ex causa adventitia maneat radicans in persona ipsius filij, an ad patrem transeat de jure Regio? Quod non transeat ad patrem resolvimus.
- 44 Terribilis questio est. Utrū scilicet usufructus legatus per fideicommissumque relictus extinguatur morte legatarij, vel fideicommissarij? Vidè sequentia.
- 45 Restituto usufructu à legatario, ut ministro nudo considerato, usufructus morte fideicommissarij extinguitur.
- 46 Electo tamen legatario ad restituendum, non ut nudo ministro, morte fideicommissarij, ante quā fideicommissi dies cedat, usufructus non extinguitur.
- 47 Manet usufructus apud legatariū, si rogatus fuerit restituere post diem certū, vel sub conditione, & fideicommissarius ante diem, vel conditionē decedat.
- 48 Idem dicendū est, si post adventū conditionis, vel fideicommissarius repudiaverit, seu non agnoverit. fideicommissum usufructus.
- 49 Aliter judicandū est si fideicommissarius post adventū diei, vel conditionis fideicommissum petat, & legatarius usufructū non restituat, nam ad extinctionem illius pro restituto habetur.
- 50 Si fideicommissarius moriatur post factā sibi restitutionē, similiter extinguitur usufructus.
- 51 Fideicommissio autem à fideicommissario repudiato usufructus penes legatarium manebit licet à testatore statim restitui jubeatur.
- 52 Dubia questio fuit apud Consultos: Utrū usufructus extingueretur, alienato servo, per quem dominus usufructum acquisitum habebat.
- 53 Si pars servi, per quem usufructus à domino acquisitus alienabatur, dubium etiam fuit apud Consultos: an usufructus extingueretur.
- 54 Alienato usufructu servi, sine dubio erat usufructum non extingui.
- 55 De jure Codicis controversia procedit etiam usufructum non extingui.
- 56 Quod procedit non solum quando totus, sed etiam quando pars, seu tantum usufructus servi, cui usufructus erat relictus alienetur.
- 57 Si usufructus ad remous relinquatur, & usufructuarius ante implectum tempus decedat, usufructus finitur.
- 58 Usufructus ab aliquo stipulatus sibi, & hæredibus non extinguitur morte ipsius stipulantis.
- 59 Percōtaberis, an prædicto in casu usufructus cōtinuetur nō solū in persona primi hæredis, sed etiā in hæredibus subsequētibz? Morte primi hæredis finitur.

- 60 Quæstio hic insurgit: Utrum sicut usufructus morte extinguatur, ita etiam actio pro eo competens morte finiatur? Affirmatur.
- 61 Usufructus locatus à domino proprietatis morte conductoris non finitur.
- 62 Legatum annuum morte legatarij finiri certum est.
- 63 Quod quidem procedit non solum in legato annuo alimentorum, sed in quocunque alio annuo legato.
- 64 Quæres; an stipulatio annua morte stipulatoris extinguatur? Non extingui videtur.
- 65 Similiter donatio annua mortis causa facta donatarij morte non finitur.
- 66 Quod intellige, quando donatio fit, stipulatione interveniente.
- 67 Si vero fiat pacto nudo solum traditione interveniente, tunc morte donatarij extinguatur.
- 68 Legatum annuum ex voluntate testatoris bene potest fieri perpetuum.
- 69 Legatum relictum usque ad certos annos legatum annuum reputatur.
- 70 Quod tamen intelligitur quando scilicet legatum fit ex causa alimentorum.
- 71 Similiter legatum relictum in singulos annos simpliciter, si relinquatur ex causa alimentorum, annuum legatum est.
- 72 Quando legatum relinquatur extra causam alimentorum, vel simpliciter in singulos annos, vel quoad vixerit legatarius, legatum annuum iudicatur.
- 73 Habitatione relictæ non in singulos annos, sed cum præfinitione certi temporis, unicum legatum oritur.
- 74 Sic etiam legatum relictum cum præfinitione temporis, v. g. usque ad decem annos, unicum legatum est.
- 75 Limita tamen prædictam sententiam, quando contrarium constat ex voluntate testatoris.

DECERTATIO III.

Circa extinctionem legati annui per capitis diminutionem.

Ad I.C. Modestini lib. 8. different. in L. legati 10. ff. de cap. minutis, & Pauli lib. 10. quæstion. in L. is cui annua 11. ff. de alimēt. & cibarijs legati s.

- 76 **C**APITIS diminutio definitur: Prioris status mutatio.
- 77 Status civilis hominis consistit in tribus qualitatibus, nempe libertate, civitate, & familia.
- 78 Capitis diminutio est triplex, scilicet, Maxima, Media, & Minima.
- 79 Maxima capitis diminutio tunc datur, quando libertas, civitas, & familia amittitur, unde venit, quod capite damnatus capitis diminutionem maximam patitur.
- 80 Similiter ad opus metali condemnatus eadem afficitur capitis diminutione.
- 81 Quæres: Utrum hodierno tempore condemnati ad mortem, vel in metalum, seu ad opus metali patiantur capitis diminutionem maximam, & servi pænæ efficiantur? Affirmative circa homines libertinos.



- 82 Non tamen procedit talis resolutio circa personas ingenuas.
- 83 Secundum jus nostrum Regium homines ingenui ad mortem naturalem condemnati, & servi efficiuntur, & capite minuti dicuntur.
- 84 Secunda capitis diminutio, quæ minor dicitur, intelligitur quando aliquis libertate retenta Civitatem, & familiam amittit.
- 85 Tandem minima capitis diminutio verificatur, quando aliquis, libertate, & Civitate retenta familiam mutat.
- 86 Celebris quæstio est: Utrum legatum annuum capitis diminutione legatarij finiatur? Negativè.
- 87 Quæ conclusio procedit in quacunque capitis diminutione.
- 88 Legatum annuum in facto potius quam in jure consistit.
- 89 Per capitis diminutionem minimam in personam legatarij contingentem non suspenditur legatum annuum, immo cum effectu præstari debet.
- 90 An talis resolutio procedat in legato annuo alimentorû, sive ordinario? Quærenti duam in ambabus.
- 91 Et ita si filius, cui legatum annuum fuit relictum, capite minutus fuerit per casum emancipationis, legatum illi acquiritur.
- 92 Quid ergo dicendum erit, si capitis minutio contigerit per arrogationem, an patri, vel filio legatum annuum acquiri? In certamine respondebimus.
- 93 Media capitis diminutio impedit, quod legatum annuû cedat pro illis annis, quibus fuerit capite minutus.
- 94 Quæ assertio procedit etiam, si voluntas testatoris faveat legatario.
- 95 In dubium venit: Utrum per talem mediam capitis diminutionem suspendatur legatum annuum alimentorum? Affirmative.
- 96 Secus vero, si de contrario testatoris voluntate constiterit.
- 97 Legatum annuum ordinarium per maximam capitis diminutionem, scilicet per servitutem poenæ regulariter suspenditur.
- 98 Idem in iisdem terminis in legato annuo alimentorum dicendum est.
- 99 Si testator exprimat, quod legatarius capiat legatum alimentorum, dum maxima capitis diminutione sit affectus, voluntas testatoris erit observanda.
- 100 Qui se venundari passus fuerit ad pretium participandum, legatum annuum non potest percipere.
- 101 Quæ resolutio procedit in alimentorum legato.
- 102 Non dubites legatarium ita capite minutum posse legatum annuum alimentorum percipere, si testator ita exprimat.
- 103 Maxima differentia est, quod legatum annuum suspendatur, & non finiatur.
- 104 Qui mediam capitis diminutionem passus fuit, si à Principe restituatur, potest legatum annuum pro sequentibus annis consequi.
- 105 Ita procedit in damnato ad mortem naturalem, si postea restituatur per Principem, si legatum fuerit alimentorum.
- 106 Si vero legatum ordinarium sit, non obstante Principis restitutione, illud capere non potest.
- 107 Quæstio tamen est: Utrum, si in tali legato detur ratio affectionis, quia, v. g. à patre, vel à matre fuit relictum, damnatus in metalem post restitutionem illud petere possit? Affirmativè.

- 108 Qui se venundari passus est à Principe natalibus restitutus non potest prosequenribus annis legatum consequi.
- 109 Dubitari non potest illum, qui se venundari passus fuit, si à Principe natalibus restituitur, & legatum fuerit alimentorum illud percipere posse.
- 110 Quod affirmamus procedere, quando concurrit ratio pietatis, & favori, licet legatum sit ordinarium.
- 111 Qui se venundari passus fuit, si postea simpliciter manumittatur, non potest petere legatum annuum licet concurrat ratio pietatis.
- 112 Legatum annuum alimentorum censetur omnino finitum, si legatarius, qui se venundari passus fuit, postea simpliciter manumittatur.

DECERTATIO IV.

Pro Cessione diei.

Ad I.C. Ulpian. lib. 1. Regulari in L. Cedere diem 213. in principio ff. de verb. significat; & lib. 7. ad Sabin. in L. unica §. final. ff. quando dies ususfr. legati cedat; & ad I.C. Paul. lib. 8. ad Edictum in leg. licet 42.
§. ea obligatio ff. de procuratoribus.

113

114

115



VERBUM Cedere diversimodè in jure nostro accipitur, & pro varietate subjectæ materiæ varias habet significationes.

Quâdo verbū Cedere applicatur verbo *bonis* importat actū voluntarium, quo debitor, qui solvendo non est, omnia bona sua creditoribus defert.

Dum vero verbum Cedere ad actiones adjungitur, importat translationem actionis in alterum factā per creditorem.

116 Tandem adjunctum verbo *dies* obligationis ortum, & principium significat.

117 Unde, in nostra rubrica Cedere diem, seu *cessio diei* importat primū obligationis principiu, & idē est, atq; pecuniā, seu rem, de qua agitur, cœpisse deberi.

118 Ex quo sequitur, quod *venire diem* significat, cum diem venisse, quo pecunia peti potest.

119 Ad cessionem diei non sufficit qualis qualis obligatio, sed requiritur propria, & absolutē perfecta.

120 Ad cessionem diei talis requiritur obligatio, ex qua saltē in habitu, & summo jure competat actio.

121 Competentia tamen actionis, licet omni prorsus exercitio destituta, sufficit ad cessionem diei.

122 Cessio diei in jure nostro non importat fluxum alicujus temporis ex illo, quod operi faciendo, seu alteri obligationi erat destinatum.

123 Sententia Cujacij admittens cessionē diei cum adjuncto non placet.

124 Obligatio Civilis est causa necessaria actionis, neque in jure nostro potest obligatio considerari, quin etiam actio statim resultet.

DECER-

DECERTATIO V.

Pro Materia Contractus purè celebrati.

Ad I. C. Pomponium lib. 5. ad Sabin. in leg. in omnibus 14. ff. de Regul. Iuris, & ad I. C. Ulpian. lib. 1. ad Sabin. in L. eum qui 41. §. quoties ff. de verb. obligat. & ad eundem Ulpian. in dicta Leg. Cedere diem 213. vers. ubi purè ff. de verb. significatione.

- 125  TIPULATIO pura in jure nostro illa dicitur, quæ
126 simpliciter celebrata nullam dilationem nec tacite,
127 neque expresse incertam habet.
128 In contractu purè, & legitimè celebrato statim
cedit dies ab ipsa conventionē.
129 Etiam in tali contractu puro statim à conventio-
ne dicitur diem venire.
Pro hujusmodi contractu purè celebrato illico com-
petit actio cum effectu.
130 Exercitium tamen actionis, quæ ex contractu pu-
ro resultat statim non physicè, sed Civiliter accipitur.
131 Debitoribus purè obligatis conceditur tempus necessarium, commiserationis
gratia, ad quærendam, & præstandam pecuniam suo creditori.
132 Etiam debitoribus condemnatis tempus ad præstationem debiti.
133 Idem tempus conceditur debitoribus confessis.
134 De jure nostro regio etiam tempus debitoribus confessis indulgetur, in quo
ad solutionem faciendam pecunia quæatur.
135 Quantum autem tempus de jure communi concedatur debitoribus condem-
natis, & Utrum hoc spatium in actione personali tantum, an etiam in reali
concedatur? Querenti satisfaciam.
136 Apud omnes, & præcipuè apud nostros in usu est, nullū tēporis spatiū permit-
tere condēnatis ad præstandā pecuniam, vel quamlibet aliam quantitatem.
137 Hoc tamen procedit, quando sententiæ executio sit ex nobili officio judicis.
138 Si autem ex sententia voveatur actio judicati, proceditur per assignationē decē dierū, sicut ex qualibet scriptura, quæ habet executionem paratam.
139 Inspecto eodē jure debitoribus sponte confessis super actione personali ad quā-
titatē præstandā, debet judex assignare terminū decē dierū ad solvendum.
140 Quod si tractetur de præstanda aliqua specie, eodē jure attento, cuicumq;
debitori terminus decem dierum assignatur.
141 Et si constitutum purè celebretur, non competit statim actio in exercitio ad-
versus constituentem.
142 Forma constituti quoad obligandum, vires, & efficaciam sumit à Prætorē.
143 Etiam si constitutum purè celebretur, attamen ex dicto Prætoris semper con-
tinet conditionem tacitam, tempus scilicet, quo possit, constare, constitu-
entem neque solvisse, neque fecisse.
144 Hoc temporis spatium non est minus decem dierum. (A 6 DE-

DECERTATIO VI.

Pro Materia Contractus in diem certum celebrati.

Ad 7. C. Paul. lib. 12. ad Sabin. in leg. centesimis 46. in principio ff. de verb. obligat. & ad prædictum Ulpin. in leg. Cedere diem 213. vers. ubi in diem ff. de verb. significat. & ad Imperat. Justin. in §. omnis stipulatio 2. vers. id autem lib. 3. Inst. de verb. obligat.

144



EMO est, qui neget in stipulatione, vel in alio quolibet contractu in diem certum celebrato statim cedere diem à tempore contractus, & ante adventum diei.

145

Licet in hac stipulatione statim cedat dies, non tamen venit ante adventum diei.

146

Idcirco statim nasci actionem in hac stipulatione saltem in habitu, vel summo jure competentem, non dubitamus.

147

Hæc actio summo jure, vel in habitu competens in Judicio ex natura sua potest exerceri, nisi aliunde tale exercitiū impediatur.

148

Debitor in diem certum ante ipsum diem rem promissam per errorem solvens, minimè solutum repetere potest.

149

Non sine juristracione asserimus, obligationem in diem certum in puram novari posse, & hanc novationem statim suum effectum producere.

150

Quod etiam dicimus de obligatione purè contracta, quæ in obligationem in diem certum novatur.

151

Quando stipulatio in diem certum novatur in puram, statim legitimè, & absque ullo exceptionis periculo agi potest.

152

Contrarium tamen dicendum erit, quando obligatio pura novatur in obligationem in diem.

153

Quando in diem novatur obligatio pura, moram antea commissam circa rem debitam purgari, certissimum est.

154

Ut perfectè novatio celebrari possit, necessarium est, quod prima obligatio legitima, vel saltem naturalis præsupponatur jam in suo esse complera, quæ in aliam æque civilem, vel naturalem transfundatur.

155

Propriè conditionalis dici non debet stipulatio partus nascituri, fructuum futurorum, & domus ædificandæ.

156

In hac quidem stipulatione partus, seu fructuum futurorum statim nascitur actio in actu signato, & quoad competentiam à tempore contractus, sed absque ullo penitus exercitio.

157

Partus nascituri, seu fructuum futurorum venditio verè, & propriè conditionalis non est.

158

Venditio, vel stipulatio partus nascituri, vel fructuum futurorum, ab illius nativitate, vel istorum collectione, tanquam à conditione suspensiva non depen-

- dependet, maximè verò tanquam à conditione resolutive.
- 159 Ut cedat dies in stipulatione operarum officialium, requiritur ex parte Patroni operarum indictio.
- 160 Qua indictione facta, insuper requiritur, ut dies cedat quoad interesse, quod libertus in eis præstandis aliquam committat moram.
- 161 Illa conditio, quæ tacitè continetur in stipulatione operarum officialium, scilicet, si Patronus indixerit, ex præsumpta contrahentium voluntate provenit, & possunt contrahentes circa illam aliquid operari.
- 162 Quo admissio, asserimus, quod conditiones tacitæ ex naturæ, seu juris necessitate provenientes, & circa quas contrahentes nihil efficere possunt, non sunt verè, & propriè conditiones.
- 163 Per contrarium, conditiones tacitè provenientes ex voluntate contrahentium, & circa quas contrahentes aliquid operari possunt, verè, & propriè sunt conditiones.
- 164 Operæ artificiales, seu fabriles illæ dicuntur, quæ ex artificio aliquo præstantur, v.g. fabricando, pingendo, & alia similia operando.
- 165 Operæ officiales naturaliter Patrono debentur à libertò, fabriles verò nò ita.
- 166 Ut tamen tam officiales, quam artificiales operæ civiliter debeantur, debent expresse à Patrono imponi.
- 167 Quæ quidem imponuntur, vel per stipulationem, vel per iuramentum, vel denique per conventionem nominatim, factam in ipsa manumissione.
- 168 In stipulatione operarum artificialium statim dies cedit à tempore interpositæ stipulationis.
- 169 Necessario requiritur, ut Patronus nomine operarum tam artificialium, quàm officialium efficaciter in iudicio agere possit, quod jam prætereat tempus, quo ipsæ operæ possunt à libertò præstari.
- 170 Ex stipulatione domus ædificandæ ubi primū mora facta est circa inchoandū, statim actio cum exercitio cōpetit ad id, quòd interest domū esse inchoatā.
- 171 Et ubi primum mora facta est circa perficiendum, statim actio cum exercitio cōpetit ad id, quòd interest domum esse perfectam.
- 172 In omnibus contractibus in diem certū celebratis præscriptio 30. vel 40. annorum contra creditore currere non incipit, ante quam ipse dies adveniat.
- 173 Inter creditorem in diem, & conditionalem nulla æquiparatio datur respectu obligationis, & actionis, tametsi contra eos non currat præscriptio ante diei, vel conditionis adventum.
- 174 Hic venit inquirendum, Utrum compensatio, quæ est debiti, & crediti inter se contributio, quādo in iudicio proponitur habeat potius vim actionis, quam exceptionis? Habere vim exceptionis firmiter defendimus.
- 175 Compensatio non est verè, & propriè peritio.
- 176 Debitum in diem certū non potest compensari, antequā dies adveniat invito debitore, quāvis pro tali debito cōpetat civilis obligatio, & actio.
- 177 Unde venit, quod debitor in diem certum commodo, & interusurio medij temporis invitus privari non debet.
- 178 Si tamen in gratiam creditoris dies sit appositus, prout aliquando contingit, tunc compensari potest debitum in diem certum ante adventum diei, invito, & nolente debitore.

- 179 Hinc venit, quod dies humanitatis gratia concessus debitoribus condēnatis ad solvendum compensandi facultates non impedit.
- 180 Non potest in compensationem venire debitum, quod per exceptionem perimi potest.
- 181 Compensatio tota in æquitate fundatur.
- 182 Ex prædictis patet, quod excommunicatus in iudicio conventus ab aliquo potest illi objicere compensationem.
- 183 Si debita sunt inequalia, tūc compensatio fit usque ad concurrentē quātitatem, & maioris quātitatis residuū salvū manet creditori, cui plus debetur.
- 184 Ante Constitutionem Imper. in L. final. Cod. de Compensat. non solum debita liquida, vel de facili liquidanda, sed etiam non liquida, nec de facili liquidanda tam ex parte aëtoris, quā ex parte rei poterant compensari.
- 185 Qua ditione ponderata, debitum non liquidum, seu de facili non liquidandum ex parte rei jam convicti non potest objici in compensationem cum debito ex parte aëtoris jam liquido, vel statim liquidando.
- 186 Quando debitum non liquidum deducitur in compensationem, ut ipsa cōpensatio effectum sortiatur, requiritur, quōd ipsum debitū prius liquideatur, & quōd, si non est certa pecunia, ad certam pecuniam reducatur.
- 187 Debitor in diem certum potest regulariter solvere ante ipsum diem, invito & nolente creditore.
- 188 Si Fideijussor ante diē solverit pro debitore, contra illū non potest ipse fideijussor actionē mandati legitimē intentare, antequam dies adveniat.
- 189 Qui ante diem agit, malē, & promaturius agit, qui vero ante conditionis existentiam, nihil omnino agit, seu inutiliter agit.

DECERTATIO VII.

Pro Materia Contractus conditionaliter celebrati.

Ad I. C. Sævolam lib. 28. Digest. in L. qui Roma 122. §. Augerius ff. de verb. obligat. & ad Imper. Iustin. in §. sub conditione 4. lib. 3. eodem tit. de verb. obligat. & ad eundē Ulpian. in dicta leg. Cedere diem 213. vers. ubi sub conditione ff. de verborum significat.

190



191

192

193

194

UÆRITUR nunc; Utrū in contractu conditionali cedat dies ante existentiam cōditionis? Negativam partem amplectimur.

Quare ex illo pendente, conditione nulla perfecta, & civilis obligatio resultat.

Unde etiam, ante conditionis existentiam nulla omnino actio competit, neque saltem in habitu, & summo jure.

Contrahens conditionaliter neque etiam conditionaliter agere potest.

Agens ex stipulatione conditionali ante adventū conditionis, inutiliter agit, existen-

- 9
- existente tamen conditione, legitimé agere valet.
- 195 Conditionalis stipulator, quoad aliquos juris effectus creditor dicitur ante existentiam conditionis.
- 196 Debitor conditionalis statim, & de presenti ita manet stipulatori adstrictus, ut non possit, eo invito, à sua recedere promissione.
- 197 Ex stipulatione condicionali resultat spes debitum iri, quæ, mortuo stipulatore pendente conditione, transmittitur ad hæredes, & contra hæredes.
- 198 Admittimus retrotractionem in contractibus conditionalibus à tempore existentie conditionis ad tempus contractus celebrati
- 199 Talem tamen retrotractionem tantummodo locum habere quoad causam afficientem, hoc est quoad contrahentes, probabilius judicamus.
- 200 Et ideo quoad causam materiale, nempe, quoad rem in stipulationem deductam, hanc retrotractionem non admittimus.
- 201 Ex quibus provenit, quod si res conditionaliter empta, pendente conditione, deficiat, non habebit locum retrotractio, quanvis postea conditio existat.
- 202 Idem judicamus, quando res purè debita periit, quæ postea in obligationem conditionalem novandi animo factam deducitur.
- 203 Ad inducendam retrotractionem, de qua loquimur, datur necessitatis, & æquitatis ratio, quam, si necesse sit, in certamine præstabimus.
- 204 Rem propriam sub conditione, si mea esse disierit, quem recte stipulari posse, jura non prohibent.
- 205 Res sacræ publicæ, vel homo liber neque sub conditione in stipulationem deduci possunt.
- 206 In contractibus generaliter proprium est, ut contrahentes & sibi, & hæredibus suis prospicere intendant.
- 207 Filium familias stipulari posse, certissimum est.
- 208 In stipulatione condicionali à filio familias facta, licet pendente conditione emancipetur, ea postea existente, etiam admittitur retrotractio.
- 209 Stipulatio conditionalis statim à tempore contractus vires accipit, conditionale verò legatum solum quando advenit conditio.
- 210 Si res sub conditione promissa per errorem solvatur, interim, dum pendet conditio repeti potest.
- 211 Si obligatio pura novandi animo in conditionalem transferatur, non statim resultat novatio, sed cum conditio extiterit.
- 212 Et vice versa, neque etiam obligatio conditionalis per aliam puram potest statim novari, sed spectandus erit adventus conditionis.
- 213 Creditor conditionalis, pendente conditione, non mittitur in possessionem bonorum debitoris ad effectum, ut si ipse contumax sit in non comparendo, bona ejus distrahantur, & vendantur
- 214 Potest tamen creditor conditionalis mitti in possessionem bonorum debitoris ex vi primi decreti, id est, ad effectum, ut contumace, & non cavente debitore ipso, securitatem sui debiti consequatur.
- 215 Creditor conditionalis potest pro securitate suæ spei debitum iri cautionem à debitore implorare.

216 Ista tamen cautio concedi non debet absque iusta causa, & necessitate de novo superveniente.

217 In omnibus contractibus tam bonæ fidei, quam stricti juris cautio ista, data iusta causa, præstari debet.

218 Cum hac tamen declaratione, quod in bonæ fidei contractibus potest creditor conditionalis per viam actionis huiusmodi cautionem exigere.

219 Secus verò in contractibus stricti juris, ubi non per viam actionis, sed auctoritate, & Imperio Prætoris talis cautio decernitur.

DECERTATIO VIII.

Rursus pro eodem Contractu conditionali.

Ad J. C. Iabenum lib. 1. in L. pecuniam 36. in principio ff. de rebus creditis, & ad I. C. Paul. lib. 3. quæst. in Leg. Iulianus 60. §. ubi autem, vers. idemque ff. de conditione indebiti, & ad I. C. Iulian. lib.

42. Digest. in Leg. eum qui 56. §. Si hominem §. ff. de verb. obligat.

220



221

UÆSTIO hic ventilatur: Utrum scilicet, quando debitor pure obligatus iussu creditoris eandem pecuniæ quantitatem alteri sub conditione promittit, stipulatio illa primo creditori facta, pura semper permaneat, an verò conditionalis? Puram remanere affirmamus.

Huiusmodi stipulationem puram remanentem libenter admittimus ex tacita contrahentium voluntate dilationem capere, quousque conditio secundæ stipulationis, vel deficiat, vel existat.

222 Unde primus stipulator, cui pecunia purè fuit promissa, pendente conditione secundæ stipulationis, legitimè, & sine exceptionis periculo agere non potest.

223 Neque illi sufficit præstare cautionem ad hoc, ut in iudicio exigere possit.

224 Si iste unicus promissor primo stipulatori pecuniam per errorem solvat, non potest, pendente conditione, repetere.

225 An autem, existente conditione, teneaturolvere secundo stipulatori, licet primo per errorem solvisset? Affirmandum.

226 Eodem modo, quando vice versa datur unus dumtaxat creditor, & duo debitores ejusdem pecuniæ, primus purus, secundus vero sub conditione, illa prima obligatio pura remanet.

227 Ille tamen primus debitor poterit, si per errorem solverit, ipsammet pecuniã statim repetere.

228 Et in hoc casu, licet prima pecuniæ promissio pura remaneat, non dubitamus

- mus asserere, contineri in ea tacitam temporis dilationem, antequam primus promissor efficaciter agere non potest.
- 229 Quo etiam in casu acceptilationem primo promissori factam per creditorem, locum habere posse non dubitamus.
- 230 Per acceptilationem primo promissori factam, dum pendet conditio secundæ stipulationis, obligatio secundi debitoris, utpote conditionalis, nequit considerari extincta.
- 231 Debitor conditionalis in petitione hæreditatis, non potest cum effectu condemnari ad solvendum ante conditionis adventum.
- 232 Attamen speciale esse in hac actione defendimus, ut adversus debitorem conditionalem, etiam conditione pendente, moveri queat.
- 233 Conditio quando apponitur non in traditione, sed in titulo, ex quo fit, sufficit titulus conditionalis, supposita contrahentium voluntate, ad dominium statim transferendum.
- 234 Ille, qui pecuniam sub conditione promissit, si pendente conditione, eam stipulatori tradiderit eo pacto, ut, existente conditione, cedat in solutum, statim pecuniæ dominium in accipientem transfert.
- 235 Si res futuro marito ante Matrimonium contractum ex titulo dotis tradatur, & traditio purè fiat, dominium statim in ipsum maritum transfertur.
- 236 Ex dotis stipulatione, ante quam nuptiæ celebrentur, si quis agat, inutiliter agere dicendum existimamus, utpote agens ante conditionis existentiam, *Si nuptiæ sequuntur* tacite in ea contentæ.
- 237 Quod nulla mora committi possit in condicionali stipulatione, pendente conditione, juris regulæ suadent.
- 238 Absolutè verum non est, quod per stipulationem conditionalem novandi animo factam, purgatur mora antea in obligatione pura commissæ.
- 239 Itaque quando novatio est facta sub conditione, quo in casu non statim futurum operatur effectum, si res purè debita præsens est, ita ut statim creditori novanti tradi possit, purgatur mora antea commissæ.
- 240 At quando res debita non præsens est in præsentia contrahentium, neque potest cum effectu statim tradi creditori, contrarium dicimus.
- 241 Per novationem conditionalem non purgatur mora antea commissæ circa ipsam rem debitam.
- 242 Unde, obiter defensabimus, per obligationem rei debite, quanvis omnino non extingatur obligatio, moram antea commissam purgari.
- 243 Requiritur, ut novatio conditionalis sortatur effectum, quod res debita tempore implementi conditionis existat vel verè, vel censura juris.
- 244 Per novationem purè, vel in diem factam purgatur mora antea commissæ circa rem debitam, vel ipsa res debita sit mobilis, vel immobilis, præsens, vel non præsens tempore novationis.
- 245 Si dos per acceptilationem fuerit constituta marito futuro à muliere, nuptiis non sequutis, in suo robore manet pristina obligatio, ex qua ipse maritus poterit conveniri.
- 246 Quod tamen procedit, quando acceptilatio eo animo, & intentione fit, ut dominium rei acceptilatæ in maritum transeat, cum conditio nuptiarum extite-

- extiterit: secus verò, si eo animo, ut statim transferatur, dominium acceptum ferat.
- 247 Verbum *Creditor* generaliter sumptum comprehendit non solum eos creditores, quibus jam actio competit, qui quidem propriè creditores sunt, sed etiam eos, quibus de præsentì actio non competit, ut sunt creditores conditionales, qui impropriè creditores dicuntur.
- 248 Stipulatio de uno, & eodem fundo facta ab uno promissore, & à duobus stipulatoribus stipulantibus sub illa forma: *Si alteri non dedisset*, non est verè, & propriè conditionalis.
- 249 Debitor ex stipulatione duorum correorum credendi habet electionem præstandi rem debitam illi, cui maluerit, per quam præstationem extinguit obligationem, quæ in persona utriusque correi reputatur una tantummodo.
- 250 Quæ quidem electio debitori competens perpetuo non durat, sed solummodo quousque unus ex correis credendi rem petierit in iudicio.
- 251 Unde provenit, quòd per litis contestationem excludit correus, qui primus petiit, alium correum, & ita actionem sibi appropriat, quod jam alter petere non potest.
- 252 Unum ex correis credendi sine dubio solum à debitore accipere posse, & ipsum per solutionem liberare, nemo ambigit.
- 253 In stipulationibus, seu obligationibus faciendi statim à tempore mora nascitur obligatio, sed revocabiliter tantum.
- 254 Si enim iste promissor ante litis contestationem post moram in faciendo, fecerit, quod promisit, moram antecedentem purgat, & omnino liberatur.
- 255 Qui promittit rem defendere, factum promittere dicitur.
- 256 Post verò litis contestationem ob rem non defensam, non potest promissor antequam moram commissam purgare propter quasi contractum ex ipsa litis contestatione inductum, & ius ex eo stipulatori acquisitum.
- 257 In materia legis *Æliæ Sentia* stipulator conditionalis pro creditore habetur.
- 258 In fraudem istius, cui sub conditione debetur, præstatio libertatis non valet; vel saltem in suspensio est, quousque certum fiat, an creditor jure suo uti velit.
- 259 Unde venit, quod inter aliquos juris effectus, in quibus creditor conditionalis pro creditore habetur, unus est in materia legis *Æliæ Sentia* impediens libertatem.
- 260 Creditores conditionales beneficium separationis valent impetrare ad effectum, ut, separatis bonis debitoris à bonis heredis, ipsi conditionales creditores, existente postea conditione, suum debitum consequantur.

DECERTATIO IX.

Pro materia legati puré relictí,

*Ad I. C. Ulpianum in Leg. Si post diem 5. in principio ff. quando dies legato-
rum, seu fideicommissorum cedat, & ad eundem I. C. in L. hereditatis a-
ditio 7. & ad I. C. Paul. in Leg. Si dies 21. in principio ff. quan-
do dies legatorum &c.*

- 261 **I**N Legato puré relictó statim cedit dies à morte
262 testatoris, & ante aditam hereditatem.
263 Legata puré relictá post mortem testatoris statim
revocabiliter confirmantur.
264 Quoad obligationis ortum, & actionis competentí-
am tantum cedit dies in prædictis legatis.
265 Cessio diei in legato puré relictó non est tantum-
modo quoad effectum transmissionis.
266 Transmissio non est de essentia cessionis diei.
267 Ex eo, quod dies cedit, legatum à morte testatoris
transmissibile est ad heredes legatarij decedentis ante aditam hereditatem.
268 Idem valet dicere in legatis puré relictis diem cessisse, atque dicere, legatum
debitum iri, & peti posse, adita hereditate.
269 Transmissio non est effectus substantialiter emanans ad cessionem diei, sed
ab illa tantum accidentaliter proveniens.
270 Statim à morte testatoris inducitur à jure civili quædam persona ficta, quæ
hereditas jacens nuncupatur.
271 Hereditas jacens quoad acquisitionem de novo personam defuncti repræsen-
tat.
272 At vero quoad conservationem dominij, jurium, & actionum, & eorum, quæ
jacente hereditate, contigerunt, sustinet persona heredis futuri.
273 Hereditas jacens capax est omnium eorum, quæ juris sunt, & in jure confi-
stunt; non verò eorum, quæ facti sunt, & ex facto dependent.
274 In hereditate jacente considerari possunt omnes actiones tam activæ, quàm
passivæ, quæ postea adita hereditate sunt competituræ.
275 Semel ac heres adierit, retrofingitur heres à morte testatoris.
276 Hereditas jacens transfert in heredem quidquid in se habebat.
277 Obligatio legati puri pendet ab aditione hereditatis, tanquam à conditione
resolutiva, non vero tanquam à suspensiva.
278 Inter heredem adeuntem, & legatarium celebratur quidam quasi contractus
pro legatis præstandis.

279 Sciscitanti, quanam actio competat pro legato puro adversus hereditatem
jacentem? In palestra satisfaci am.

Hæc

- 279 Hæc actio pro legato puro competens in dictis terminis tantummodo in habitu erit admittenda, omni prorsus exercitio destituta.
- 280 Aditio hereditatis moram facit legatorum petitioni.
- 281 Ad instantiam legatariorum bonis hereditatis jacentis curator non conceditur, cum quo legatarius agat pro suo legato; licet hujusmodi curator ad creditorum instantiam concedatur.

DECERTATIO X.

Pro Materia legati in diem certum relictæ.

Ad 7. C. Paul. in Leg. Sempronius 26. ff. de usu, & usufr. legato, & ad eundem in Leg. Si dies 21. in principio ff. quando dies legatorum, seu fidecommissorum cedat, & ad Imperat. Justin. in Leg. unica §. Cum igitur, & §. in novissimo Cod. de Caducis tollendis.

- 282  EGATI dies in diem certum relictæ statim cedit à morte testatoris, & ante aditam hereditatem.
- 283 Statim pro hoc legato datur perfecta, & civilis obligatio, ex qua istud legatum à tempore mortis dicitur capisse deberi.
- 284 Huic obligationi præstandi legatum sit obnoxia hereditas jacens, & ab illa transfertur postea in heredem adeuntem.
- 285 Adversus hereditatem jacentem competit actio in habitu pro legato in diem certum relictæ.
- 286 Hæc actio consideratur, prout est jus prosequendi radicatum in persona legatarij.
- 287 Si autem consideretur in actu exercito cum actuali deductione in judicium, nullatenus adversus hereditatem jacentem competere potest.
- 288 Impossibilitas exercitij non impedit actionem in habitu.
- 289 Si post aditam hereditatem dies certus adhuc non venit, nihilominus pro legato in diem actio competit, licet periculo exceptioni, & plus petitionis subjiciatur.
- 290 Si partus nasciturus, vel fructus futurus legentur, statim à morte testatoris resultat pro tali legato vera, & propria obligatio in heredes legatarij transmissibilis.
- 291 Ante diem nativitatis partus, vel collectionis fructuum ad prædictum legatum nulla actio in actu exercito admittitur.
- 292 Legatum in diem certum relictum ante ipsum diem recte solvi potest, & si per errorem solvatur, repetitioni locus non erit.
- 293 Legata in diem certum relictæ ante adventum dici repudiari non possunt.

- 294 Legatum in diem, & legatum conditionale non conveniunt inter se.
- 295 In legatis relictis in diem certum, vel conditione prescriptio 30. vel 40. annorum non incipit antequam vel certus dies adveniat, vel conditio existat.
- 296 In legato sic relicto: *Quidquid Titium mihi dare, facere oportet Sempronio lego*, non comprehenditur illa pecunia in diem testatori promissa, cujus dies adhuc moriente ipso testatore, non venisset.
- 297 Obligatio pro legato in diem certum relicto competens bene potest novari antequam dies adveniat, & talis novatio statim suum operatur effectum, si in aliam obligationem puram, vel etiam in diem novetur.
- 298 Si vero novatio sub conditione fiat, tunc suum effectum producit, quando conditio novationis existit.

D E C E R T A T I O X I.

Pro Materia legati conditionaliter relictī.

Ad 7. C. Ulpianum in dict. Leg. Si post diem 5. à §. Sed si sub conditione 2. usque ad finem ff. quando dies legatorum, seu fideicommissorum cedat, & ad 7. C. Labeonem in Leg. Legata 41. in principio ff. de condit. & demonstr. & ad prædictum I. C. Ulpian. lib. 21. ad edictum in leg. is cui 42. ff. de obligat. & actionibus.

- 299 **I**n legato conditionalī non cedit dies ante existentiam conditionis.
- 300 Legatum sub conditione relictum, decedente legatario ante illius existentiam evanescit.
- 301 Legatarius conditionalis ante conditionis adventum agere nequit.
- 302 Legata conditionalia non possunt cum effectu novari pendente conditione.
- 303 Circa legatum conditionale potest legatarius pasci ante adventum conditionis.
- 304 Tale legatum, pendente conditione, repudiari non potest.
- 305 Non admittimus retrotractionem in legato conditionalī à tempore existentis conditionis ad tempus conditi testamenti, neque mortis testatoris, neque etiam aditæ hereditatis.
- 306 Legatarius conditionalis neq; saltē quoad aliquos juris effectus creditor nuncupatur.
- 307 Legatum conditionale, dum ejus pender conditio, ad hæredes legatarij non est transmissibile.
- 308 Heres tenetur cavere legatario conditionalī pro securitate legati.
- 309 Quæ quidem cautio non oritur ab aliqua obligatione hæredis, sed à Prætoris introducta in favorem utilitatis publicæ.
- 310 Obligatio resultas ex quasi contractu in aditione hereditatis celebrato pro restituendo legato conditionalī assumit naturā ipsiusmet legati; quod etiā procedit cum sua proportionē respectu aliorū legatorū, puri scilicet, & in diem.

- 311 Idem dicimus de stipulatione inter heredem, & legatarium celebrata pro præstando legato conditionali.
- 312 In legato conditionali idem importat *Vires accipere, ac diem cedere.*
- 313 Legatum partus nascituri, vel fructus futuri, si ante horum nativitatem decedat legatarius, non evanescit, utpote transmissibile ad heredes ipsius legatarii.
- 314 Unde conditio, *Si partus nascantur, vel fructus*, quæ huic legato tacite inest, non facit tale legatum verè, & propriè conditionale, & ideo transmissionem non impedit.
- 315 Si ita legetur, *Stichum, vel quod Pamphila natum erit heres meus dato*, in huiusmodi legato non cedit dies ante partus nativitatem.
- 316 Legatum alternativum cum facultate elegendi, si sit de rebus, quæ de præsentis eligi possunt, statim cedit, & transmittitur ad heredes legatarii decedentis ante electionem.
- 317 Si verò res prædicto modo relictæ de præsentis eligi non possunt, contrarium dicendum erit.
- 318 Legatum sub conditione Principi relictum successoribus debetur, etiam si Princeps decedat ante adventum conditionis.
- 319 In legato verò Imperatrici sub conditione relictò contrarium dicimus.
- 320 In legato sub conditione remittenda statim cedit dies.
- 321 Idem dicimus de legato relictò sub conditione impossibili.
- 322 Domino acquiritur legatum servo relictum, si cedere incipiat tempore, quo is adhuc existat sub dominica potestate.

DECERTATIO XII.

Iterum pro legato conditionali.

Ad I. C. Labeonem in Leg. Quibus diebus 40. §. Quidem Titio ff. de condit. & demonstrat. & ad I. C. Caium in Leg. Aliquando 106. & ad I. C. Valens. in Leg. Non ad ea 88. ff. eodē tit. de cōdit. & demonstrat.

- 323  EGATUM purè relictum, si simpliciter sub conditione à testatore adimatur, non remanet purum, sed verè conditionale.
- 324 Legatum purè relictum, & sub conditione à testatore translativè ademptum non fit conditionale respectu primi legatarii, sed purum remanet.
- 325 Hoc legatum purè relictum in aliud sub conditione translatum statim peti potest à primo legatario, præstita tamen cautione de eo restituendo in eventu conditionis.

- 326 Debitum purè celebratum, quamvis sub conditione legetur, legitimè, & sine exceptionis periculo statim peti potest.
- 327 Legatum relictum sub hac conditione, *Si heres adierit hereditatem*, non est verè, & propriè conditionale.
- 328 Si verò in hunc modum relinquatur, *Titio, si volet centum lego*, est verè, & propriè legatum conditionale.
- 329 Eadem conditionis expressio, si in extraneis heredibus apponatur, non mutat dispositionem, aliter vero in suis, & necessarijs apposita.
- 330 Exheredatio filij sub potestate existentis hoc modo facta, *Titius heres erit, & cum heres erit Titius, filius exheres esto*, nullius est momenti.
- 331 Exheredatio ista in his terminis, quoad ordinem intellectus non præsupponitur prior heredis institutione.
- 332 Heredis institutio, quoad ordinem intellectus est prior legatis, fideicommissis, & libertatibus testamento relictis.
- 333 Heredis institutio non est prior exheredatione filij existentis in patria potestate.
- 334 Legatum relictum sub hac conditione, *Si Titius Capitolium ascenderit*, est verè, & propriè conditionale.
- 335 Si legatum ita fiat, *Titio lego centum, si Mevius voluerit*, non valet tale legatum.
- 336 Conditiones extrinsecus, & ex natura rei provenientes non efficiunt dispositionem conditionalem.
- 337 Unde, quando conditio tacita eodem modo exprimitur, atque de jure inest, dispositio non efficitur conditionalis.
- 338 Si autem diversimodè exprimatur, conditionalis remanebit dispositio.
- 339 Servus alienus, vel ipsiusmet heredis sub conditione legatus, potest, pendente conditione, valide manumitti.
- 340 Servus autem testatoris sub conditione legatus non potest ante existentiam conditionis ab heredi manumitti.
- 341 Attento jure Digestorum, prædicta resolutio solum procedit, quando servus sub conditione per verba vindicationis legatur.
- 342 Eodem jure inspecto, non impediatur heres manumittere servum sub conditione legatum per verba damnationis, vel per verba fideicommissi.
- 343 Hodie tamen post legatorum exæquationem nequit servus conditionaliter legatus ab herede manumitti, vel legetur per verba damnationis, vel fideicommissi.
- 344 Existente conditione, dominium rei conditionaliter legatæ per vindicationem retrofingitur translatum in ipsum legatarium.
- 345 Hujusmodi retrotractio non est absoluta, sed specialis quoad hunc effectum.
- 346 Talis retrofictio solum habet locum in persona legatarij, proindeque ad transmissionem non sufficit.
- 347 Præscriptio 30. vel 40. annorum non incipit currere contra legatarium conditionalem ante conditionis existentiam.

- 348 Attento tempore Digestorum, non erat necessarium admittere prædictam retroflectionem in legatis obliquè, vel per damnationem relictis.
- 349 Quoad beneficium separationis legatarij conditionales creditorum vice funguntur.
- 350 Hoc beneficio perpetrato, legatarij conditionales mittuntur à Prætore in possessionem bonorum defuncti, si eis ab herede non caveatur.
- 351 Legatum in diem incertum relictum conditionale esse affirmamus.
- 352 Hoc tamen procedit, quando dies incertus apponitur substantiæ legati. Quid ergo, si non substantiæ, sed præstationi legati dies incertus apponatur? Conditionale non esse defendimus.

DECERTATIO XIII.

Pro materia contractus vectigalis.

Ad rubricam, & f. C. Paulum lib. 21. ad editum in l. 1. ff. si ager vectigalis id est emphyteute carius petatur:

- 353  N hac rubrica agitur de actione, quæ competit ad petendum agrum vectigalem, vel emphyteuticariū.
- 354 Materia nostri contractus est omnis res immobilis solo coherens.
- 355 Secundum jus Regium etiam super re immobili, & solo coherenti noster contractus celebrari debet.
- 356 Ager in sua propria significatione sufficientem præstat materiam contractui emphyteutico.
- 357 Quodcunque prædium rusticum, quod in mero ædificio non subsistat, est materia conveniens nostro contractui.
- 358 Ut in prædijs rusticis noster contractus celebretur non est necesse, quod tempore contractus sint sterilia, & infructuosa.
- 359 Hoc etiam procedit de jure Regio ex lib. 4. tit. 37. ad illa verba ibi: *vinha, ou olival.*
- 360 Licet talia prædia inculta, & infructifera sufficientem præsent materiam nostro contractui, attamen differentia datur inter prædia culta, & inculta.
- 361 Nam si dubium sit an partes contractum simplicis locationis, an vero nostrum contractum celebrarunt, plurimum juvabit interpretandum, & cognoscendum esse contractum Emphyteuticum, si prædia, de quibus celebratur fuerint inculta, & infructifera.
- 362 Prædia Ecclesiastica in emphyteusim conceduntur in tertiam generationem.
- 363 Dubium est: an possint concedi in perpetuum? Si prædia fuerint infructifera, & inculta affirmamus.
- 364 In domibus noster contractus versari potest.

365 Ut

- 14
- 365 Ut de jure Regio in domo celebretur noster contractus, requiritur quod pensio domino solvenda in pecunia numerata, vel in alio consistat, aliter est nullus.
- 366 Utrum autem noster contractus habet originem ex domo, vel meris ædificijs? Negativé.
- 367 Quapropter actio nostra appellatur de fundo vectigali ratione culturæ, & meliorationis.
- 368 Ut contractus de domo celebrari possit, non requiritur alia area, nisi illa necessaria, ut domus ædificetur.
- 369 Arbores á solo separatæ non sunt materia contractus emphyteutici.
- 370 Si arbores dum solo cohærent, cum illa parte soli, cui affixæ sunt, in emphyteusim concedantur, rectè emphyteusis resultat.
- 371 Molendinum consideratum cum illa parte soli, cui inhæret, potest emphyteuticari.
- 372 Navis non potest in emphyteusim concedi.
- 373 Agri Civitatis ab ipsa per locationem concessi, rectè dividuntur in vectigales, & non vectigales.
- 374 Ager, ut vectigalis dicatur necesse est, quod Civitatis sit, & ab ea concessus.
- 375 Ager non est vectigalis, qui á Civitate locatione simplici, & ordinaria alicui conceditur.
- 376 Specialiter jus nostrum Regium disponit ex locatione simplici, & ordinaria ad longum tempus facta conductori jus in rem acquiri.
- 377 Attento eodem jure, si emphyteusis alicui concedatur, ad certas personas non expressas, decedente emphyteuta ab intestato, non censentur nominati hæredes, qui non sunt sanguinis, licet ab intestato succedant.
- 378 Disponitur etiam in *Ord. lib. 4. tit. 36. §. 2.* quod, si emphyteusis alicui concedatur, & ad certas personas sub conditione, si illas nominaverit decedente ab intestato certi hæredes ab intestato, quos interroganti signabo succedunt.
- 379 Emphyteusis alicui concessa, & ad secundam, vel tertiam personam, quam emphyteuta nominaverit, est hæreditaria, & ita potest transire ad quamcunque personam, quam emphyteuta nominaverit



CONIMBRICÆ:

Cum Facultate Superiorum.

Apud BENEDICTUM SECO FERREYRA Typogr. S. Officij
Anno Domini 1721

365 Ut si pure Ratio in domo celebraret, nosse conueniens, requirunt quod
 Ratio domo solvenda in pecunia nominata, vel in alio consistat, ali-
 ter est nullus.
 366 Item si pure Ratio conueniens habet originem ex domo, vel in alio adhi-
 bita, non est inueniendus.
 367 Quod si Ratio nostra appellatur de longo vestigio ratione cultura, &
 melioratione.
 368 Et conueniens de domo celebrari possit, non requiritur illa ratio, nisi illa
 necessitas, ut domus edificetur.
 369 Arboris a solo separata non sunt in alio conueniens capere.
 370 Si arboris cum solo conueniens, cum illa parte soli, cui annexa sunt, in em-
 phyteusim conceduntur, & in emphyteusim reuertuntur.
 371 Modicam conueniens cum illa parte soli, cui annexa sunt, potest em-
 phyteusim concedi.
 372 Navi non potest in emphyteusim concedi.
 373 Arti Civitatis ad ipsam per locationem concessa, tunc dividuntur in vesti-
 gales, & non vestigales.
 374 Agitur, ut vestigialis aliam necessitas est, quod Civitatis sit, & ab ea con-
 cessum.
 375 Agitur non est vestigialis, qui a Civitate locatione simpliciter, & ordinaria ali-
 cui conceditur.
 376 Speculatio in nostrum Regnum disponit ex locatione simpliciter, & ordinaria
 ad longum tempus sine conductu, ius in rem acquirit.
 377 Aliquis eodem iure, si emphyteusim aliam concedatur, ad certas personas
 non extenditur, decedente emphyteuta ab intestato, non reuertitur nomi-
 nati heredes, sed non sunt sanguinis, nec ab intestato succedunt.
 378 Disponitur in O. A. l. 4. c. 2. quod in emphyteusim aliam con-
 cedatur, & ad certas personas sub conditione, si illas nominaverit decedens
 non extenditur, nec heredes ab intestato, quod interrogantur signando suc-
 cedunt.
 379 Emphyteusim aliam concessa, & ad secundam, vel tertiam personam, quam
 emphyteuta nominaverit, est hereditaria, & ita potest transire ad qua-
 cunque personam, quam emphyteuta nominaverit.




CONIMBRICÆ

Cam Facultate Superiorem

Apud BENEDICTUM SECOHERY A Typogr. 2. Officij

Anno Domini 1721

Página de Controlo



Conclusiones iuris Civilis

1079